470

A. lat. b. 479

Haasius

Digitized by Google

INDEX LECTIONUM

IN

UNIVERSITATE LITTERARUM VRATISLAVIENSI

PER AESTATEM A. MDCCCLVI.

A DIE VII. MENSIS APRILIS

HABENDARUM.

PRAEMISSA EST FR. HAASII DISPUTATIO DE FRAGMENTIS RUTILIO LUPO A SCHOEPPERO SUPPOSITIS.

TYPIS UNIVERSITATIS.

Digitized by Google

BIBLIOTECA
CENTRALE

Digitized by Google

RECTOR ET SENATUS
S. P. D. COMMILITONIBUS.

Proponimus vobis, commilitones, aestivarum indicem scholarum; quae quamquam plurimae ac diversissimae sunt, unum tamen hoc habent pariter omnes propositum, ut ex iis discatis verum discernere falso. in qua re quamquam universum genus humanum ita elaborat ut ad finem non sit perventurum nisi in fine dierum, interim vero imprudentes per multiplices errores iactemur, in eo tamen unusquisque suo potest satisfacere officio, ut ad ipsam veritatem si pervenire non possimus, certe nihil aliud quam unam illam quaeramus, quae autem ab illa aliena sunt, adversa nobis et inimica putemus. neque enim recte faciunt, qui in communi vita mendacem hominem graviter reprehendunt, in litteris non judicant probitatem iis et morum integritatem deesse, qui omni adhibita ingenii vi ac subtilitate omnibusque orationis illecebris ac praestigiis conantur pro veris persuadere, quae falsa esse non nesciunt; quasi vero debeat minus mendax videri, qui vel ingeniose mendax sit, vel doctrinae copiis aut orationis arte possit mendacium adornare. Eiusmodi autem mendaciis captiose et speciose commendatis plenum est seculum nostrum, a quibus ut cavere discatis, studiose operam dabimus; vos autem facite, ut etiamsi difficile et molestum sit fraudulentos disputatores per omnes latebras sequi et veritatis armis convincere, voluntatem certe vestram ac studii strenuitatem nunquam desiderari patiamini. neque enim deerunt vobis in suo cuique studiorum genere exempla multa, e quibus intelligatis in erroribus et mendaciis tuendis nullum tantum esse hominum acumen, nullam tantam eloquentiam, nullam etiam vel hominum vel longi temporis auctoritatem tantam, ut non ea omnia vincat denique et frangat sincerus et fortis veri amor. Unum autem exemplum vobis de communibus litteris petitum nunc proponemus, e quo cognoscatis quantopere saepe etiam imperiti homines ipsa mentiendi impudentia doctos viros et probos fefellerint.

Mira quaedam fuit omni tempore libido quae amissa sunt clarissimorum scriptorum veterum opera per fraudem restituendi, cuius industriae ut causae fuerunt pro hominum ingeniis variae, ita eventus diversi; alii enim tam crassa Minerva usi sunt ut facili negotio fraus deprehenderetur; aliis diutius aliena persona haesit nec sine dubitatione aut labore detracta est. Sed qui nuperrime homo Italus quasdam Ciceroniani libri de fato partes supplere conatus est*), adeo infeliciter rem gessit, ut Ritschelii opera prius de mendacio constaret quam inventorum fragmentorum gloria increbesceret, quamquam vel sic ille repperit, quibus imponeret. Quae res

*) Scripsimus enim haec cum nondum cognita esset fraus Simonidis longe impudentior.

Digitized by Google

in memoriam nobis revocavit aliam fraudem plane similem, sed aliquanto feliciorem, quippe quae et nonnullos viros doctos aut fefellerit aut certe iudicii dubios habuerit, et quae post octodecim annos nondum confutata sit. Quare quoniam ante hos quattuor annos in indice scholarum aest. p. 10. nos primi fraudem certam eam esse et exploratam verbo significavimus, iuvat nunc paucis eius iudicii argumenta explicare. Anno MDCCCXXXVII. *Carolus Schoepfer*, qui se tum *Phil. Dr. AA. M. et ministerii scholastici candidatum* diceret, nuper autem, nisi fallor, scholis Berolini habitis, postquam perverso antiquarum litterarum studio inclarescere non potuit, pervertenda universa rerum natura nomen quaerere coepit, Quedlinburgi edidit *Adnotationes criticas, quibus C. Velleii Paterculi ex historiae romanae libris duobus quae supersunt pristinae integritati reddere conatus est*, in fine autem adiecit *Rutilii Lupi de figuris sententiarum et elocutionis libri primi fragmentum in vetustissima membrana repertum.* Atque Velleianae quidem illae adnotationes adeo futiles sunt ac iudicii infelici perversitate insignes, ut earum memoria fere interciderit; Rutilii vero fragmentum eodem anno vir doctissimus et prudentissimus Frid. Iacobus in edendo Rutilio tamquam genuinum repetivit. Repperisse se id Car. Schoepfer narrabat, sicuti Italus ille, non in toto aliquo codice sed in uno folio decerpto et tegendo alicui volumini adhibito, quod miro casu eum ipsum locum contineret, in quo constat Rutilii codices mancos esse lib. I. inter capp. V et VI; in hoc tamen se noster homo aliquanto modestiorem praestitit, quod non singulari se in ea re divinae providentiae favore usum esse scribit, id quod ille alter de se profiteri haud erubuit; cuius inventum si Ritschelius miratur per duos menses cohibitum esse, multo magis Schoepferi lentitudinem mirabimur, qui se testetur iam octo annis ante fragmentum suum repperisse; quamquam par erat quae immatura aetate reppererat, Horatii praecepto nonum in annum premere. nec tamen ideo effecit, ut interea fallendi artem plane perdisceret; neque etiam audacia eo usque crevit, ut uno loco totam, quae in libris est lacunam expleret, id quod Italus expeditiore consilio ex unius voluminis integumento etiam tribus locis facere sustinuit. Sed in Cicerone quidem ille potuit facilius audax esse, si quidem sufficere statuebat communes aliquot sententias excogitare verbisque speciosis ornare, id quod sine magna eruditione fieri poterat; in Rutilio vero minus promptum erat restituere et nomina figurarum quas plus quam viginti amissas esse Quintiliano teste constat, et earum definitiones et exempla apte confingere, exemplorumque auctores comminisci; in quo negotio si quis accuratius versetur, plurimae et difficillimae dubitationes oriantur necesse est, cum aliae, tum de figurarum et quae perierunt et quae supersunt ordine et partitione, quas res nemo adhuc diligentius explorare instituit. Quid igitur faceret homo, qui vellet locum amissum ipse supplere nec tamen posset? fecit nimirum quod facere potuit, cum simul et fallendi audaciam haberet et sui diffidentia laboraret: exiguam partem amissi loci supplevit, et quod per se manifestum erat, multa praeterea deesse, id ineptus homo etiam admirabili aliquo codicis sui testimonio confirmandum putavit; narravit enim in eo librarium lib. I, c. 5 post verba illa: *nec se patris*

Digitized by Google

mortem, adscripsisse haec: *heic est ingens lacuna in antiquissimo liuro, qui est scriptus anno urbis milesimo septuagesimo. excerpta palatina docent perisse heic harumce figurarum descriptiones: epanoioseos, paradigtos, prosopopoeiae, epitrocasmi, dianoias, simploces, palillogias.* Deinde omissa capitis 5. parte extrema, quae est in reliquis libris, sequitur brevissimum caput hoc: [*PALILLOGIA quid*] *distet ab epanalepsi docet Gorgiae* [*liber*] *et exempla supposita. Demochari: Erravistis, erravistis viri si putavistis praemio corrigendos esse homines nequam.* Sequitur deinceps cap. 6. quod vulgo initio truncatum Schoepferi codex plenum habuit sic: METATHESIS. *Hoc schema iucundissimum fit, cum duo verba repetuntur, sed inverso ordine. Huiuscemodi est notissimum illud Platonis, qui interroganti cuidam, quo pacto beata fieret resp.* —. Atque librarii quidem illa adnotatio plane et stupore et mendacii impudentia insignis est, neque id Iacobum fugere potuit, quamquam is fraudem falsarii in hoc substitisse statuit, ut „aetatis antiquitatem scriptura et testimonio mentiretur"; ceterum et retinuit verba illa, quae *deberi Schoepferi fragmento* ait *quibusque auctum esse Rutilium* scribit, nec de codicis folio dubitat, sed eum non adeo vetustum fuisse censet et scripturam ita interpolatam habuisse, ut ei non multum auctoritatis tribuendum sit. Nam profecto omnia illa incredibilia sunt et inepte ficta, quod suum librarium Schoepfer ait seculi noni esse, quod is usum se perhibet et codice scripto a. U. 1070, id est p. Ch. n. a. 317. et excerptis quae palatina appellantur, non illa scilicet Heidelbergensia aliqua sed Romana credo, ex ipsa, quam Augustus condidit palatina bibliotheca deprompta; ut mirum sit illic vix tribus post Rutilii aetatem seculis truncatum iam eius librum fuisse et eo quidem modo, ut reliqui libri recentiores habeant eodem loco non eandem lacunam; simul enim et carent illis partibus, quas novas Schoepfer protulit, et in fine capitis V. pleniores sunt; mirabili igitur casu accidisse oportet, ut eodem loco procedente tempore et augeretur lacuna et minueretur; cuius rei fingendae quae causa videatur fuisse, infra dicam. Praeterea iam Iacobus animadvertit orthographiam testem esse ementitae antiquitatis; videtur enim fraudis auctor de Ciceronis vel Frontonis libris palimpsestis aliquid cognovisse, unde multus est in permutandis litteris *b* et *u*, *i* et *e*; *liurum* enim scribit et *iliuerali* et *prouas* et *deligentem*; praeterea quoniam *heic* scripsit, indigne fero, quod non etiam maluit *ileiveralei* scribere et alia, quae Osannum delectatura erant; quamquam si quid antiquitatis praetermissum est, id cumulate dicemus eo compensatum esse, quod noni scilicet seculi librarius *hoemones* scripsit, fere tamquam Livii Andronici gemellus.

Sed non decet diutius in illa personati librarii adnotatione haerere, nisi quod quae posuit ex palatinis suis excerptis omissarum figurarum nomina, propter ipsius Rutilii fragmenta paucis examinanda sunt; quae autem in iis corrupta sunt, emendavit optime qui optime potuit, quamquam miramur hominis verecundiam, qui non plura corruperit ut plura emendare posset; *epanoioseos* igitur figuram et *paradigtos* monstravit *epanorthosin* esse et *paradigma*; addit praeterea *prosopopoeiam, epitrochasmum, dianoian, symplocen, palillogiam.* In his illud pri-

Digitized by Google

mum praeter opinionem accidit, quod prosopopoeia dicitur hoc loco periisse, quae tamen servata est apud Rutilium lib. II, c. 6. aut igitur falsarius per neglegentiam peccavit, id quod mihi videtur verisimillimum, aut voluit mirum aliquid dicere, quod docti viri stuperent et aegre concoquerent, quamvis conicerent in vetustis excerptis palatinis diversum fortasse fuisse figurarum ordinem; aut denique licet etiam aliquid prudentioris consilii et doctrinae exquisitioris suspicari; prosopopoeiam enim quamquam inter sententiarum figuras referunt omnes fere, quotquot de eius genere dixerunt, Cornific. IV, 53. Cic. de Or. III, 53, 205. Or. c. 40. Quintil. IX, 2, 29. VI, 1, 25. Alexander vol. VIII, p. 443 ed. Walz. Phoebammo ib. p. 509. Zonaeus ib. p. 676. Anon. ib. p. 701. Demetr. de elocut. c. 265. vol. IX, p. 109. Charis. V, 7, 6. Isidor. II, 21, 45. Aquila Rom. c. 3. Iul. Rufin. c. 14. p. 275. fuerunt tamen qui eam utriusque figurarum generis communem facerent, atque inter eos fuisse Rutilium satis declarat Quintil. IX, 3, 89, qui quamquam non nominatim ibi, sed paulo post Rutilium appellat, non tamen potuit de eo non cogitare, a quo exemplum figurae mutuaretur; nec dubito quin alias quoque figuras Rutilius in utroque figurarum genere posuerit, cum praesertim de una, antitheto, locupletem testem habeamus Quintil. IX, 2, 101. quam figuram et ipse in utroque genere tractavit, cf. IX, 3, 84. et Cornificius lib. IV, c. 15 et 45. Quid ergo? credemusne Schoepferum hac re cognita et accuratius examinata ita statuisse prosopopoeiam duobus locis a Rutilio positam esse? an, si id probabiliter fieri ignoravit, maiorem sapientiam atque etiam fidem excerptis palatinis tribuemus? Ego vero si una res doctius exornari potest et ultra falsarii captum, non ideo dixerim reliqua omnia ferenda esse, in quibus manifesta sunt inscitiae indicia. quid enim reliquis sex figurarum nominibus faciemus? an ea putabimus re vera extitisse in Rutilii libro, quamvis eorum nullam mentionem faciat Quintilianus? qui cum adeo diligenter Rutilio usus sit, ut vix ullam eius figuram silentio transmittat, plurimas commemoret nunc amissas, nemo propter unam figuram, quae fortasse recte posita sit, credere malet sex reliquas esse miro casu omnes a Quintiliano praetermissas, quam esse et falsarium et imperitum, qui illas potissimum figuras posuerit temere et sine consilio arreptas ex Aquila Romano et Iulio Rufiniano, apud quos leguntur omnes; hos enim scriptores una cum Rutilio a Ruhnkenio editos videtur cognitos habuisse, Quintilianum ignorasse; accedit quod si esse aliquas quasi sectas eorum cogitavisset, qui de figurarum doctrina exposuerunt, certe Iulium Rufinianum omnino sequi non debuit sed vel Aquilam Romanum, vel a quo is pendet Alexandrum, quippe cum quo saepius Rutilio convenit; veluti epanorthosin minime omnium debuit a Rufiniano accipere, quam ille solus appellat; plurimi enim *epidiorthosin* dicunt, ut Hermogenes vol. III, p. 347. 711. Alexander p. 434. Phoebammo p. 506. Tiber. p. 535. Herodian. p. 596. Anon. p. 650. Zonaeus p. 674. Anon. p. 698. Cl. Sacerdos I, 180. non sine aliquo definiendae figurae discrimine; quam enim plerique epidiorthosin vocant, eam Alexander p. 486 *epitimesin* dicit cum poeta anon. de figg. v. 148. vel *hypallagen;* diversam vero epitimesin intelligunt Tiber. p. 532 et Iul.

Digitized by Google

Rufin. p. 236. *Correctionem* appellant Cornific. IV, c. 26. et Quintil. IX, 3, 89. poeta anon. l. c. denique vero ipse Rutilius I, 16 *metanoean* dicit, quam *poenitentiam dicti* interpretatur Quintil. IX, 2, 60. nec ignorare eam appellationem Herodianus videtur, qui l. c. epidiorthosin sic definit: *ὅταν τοῖς δοκοῦσιν ἡμαρτῆσθαι ἐπάγῃ τις ὥσπερ θεράπειαν τὴν μετάνοιαν.* aliter metanoean definit Cl. Sacerdos I, 186. Quare certissimum est non potuisse apud Rutilium epanorthosin esse manifestoque teneri falsarium indicio. Non persequar eius reliquas figuras; sed postremam consulto posuit palillogiam, scilicet ut speciose nec sine testimonio divinare videretur id nomen esse ei figurae quam deinde novam tamquam ex Rutilii libro sed nomine carentem protulit; non fuisse autem eam in Rutilii libro, nec si fuerit, hoc loco fuisse satis apertum est. Nam de loco ut prius dicam, quis credet seiunctam esse hanc figuram ab epanalepsi, a qua eam Rutilius aut nullo aut certe minimo quodam discrimine discreverit? falsarius certe, nimirum in magna inscitia callidissimus, quale id discrimen esse potuerit non dixit sed mirum quantum brevitati studens, quod tutissimum erat, ad Gorgiae nos librum ablegat; qua in re inepte ipsius secutus est Rutilii exemplum lib. II, 12. qui neque cognatas figuras paromoeon, homoeoptoton, homoeoteleuton disiunxit et iure suo potuit in illarum discrimine explicando brevior esse, quia id et nomina figurarum et exempla supposita satis illustrant; nunc autem ubi agitur de discrimine subtili, de quo nemo non incertus sit, ne verbum quidem eum addidisse putabimus? Sed de palillogia si quaeramus ipsi, primum eo tamquam figurae nomine usum esse reperimus Caecilium Calactinum; testes sunt Alexander p. 462. et Tiber. p. 554, siquidem utroque loco eius nomen latet in depravata scriptura *Καρχῖνος* et *κἀκεῖνος;* nam e vetustioribus unus qui Anaximenes nunc appellatur c. 20 *παλιλλογίαν* non figuram intelligit, sed *σύντομον ἀνάμνησιν,* qua ante dicta summatim repetuntur. Quare minime credibile est Gorgiam usum esse nomine a scriptore aequali reperto, quem ille fortasse ne noverat quidem, aut, si norat, multis in rebus ab eo dissensisse censendus est; veluti aphaeresin figuram, de qua vid. Tiber. p. 573. item metabolen et pleonasmum et periphrasin, de quibus Quintil. IX, 3, 38. 46. 97. et synonymiam, de qua Tiber. p. 563. Gorgias profecto non magis ab Caecilio accepit quam palillogiam; parenthesin autem Gorgias vocavit, vid. Rutil. I, 17. Quintil. IX, 3, 23. poet. anon. v. 115, quam Caecilius parembolen; vid. Tiber. p. 576. alloeosin Gorgiae, de qua Rutil. II, 2, Quintil. IX. 3, 92. poeta anon. v. 18 testantur, plane diversam Caecilius dixit, quam alii hypallagen; vid. Tiber. p. 573. poet. anon. v. 169. Quintil. l. c. Non igitur mirum esse potest quod palillogiam Gorgiae et Rutilii fuisse negamus, praesertim cum eam neque Quintilianus neque Charisius neque poeta anon. habeat; nam de Quintiliano non probo Kayseri coniecturam ad Cornific. p. 187, 10 propositam; si autem vera esset, etiam magis constaret hanc quidem quam falsarius posuit palillogiam a Rutilio alienam esse; habet vero epanalepsin Rutilius, quam ab illa et anadiplosi non fere distinguunt Alexand. p. 462 et Tiber. p. 554. Zonaeus autem p. 681 sq. et Anon. p. 706 sq. palillogiam ab anadiplosi ita

Digitized by Google

discernunt, ut in illa unam vocem dicant bis positam et in fine antecedentis coli et initio sequentis, quam speciem manifestum est Rutilium epanalepsi comprehendisse, anadiplosin appellant Charis. IV, 6, 7. Diomed. p. 440. Donat. III, 5. p. 1773. Isidor. I, 35, 7. Cl. Sacerd. I, 137. Unde igitur suum illud discrimen commentus est falsarius? nempe non longe quaerendum: unum secutus est Aquilam Romanum c. 29. quippe quem, ut supra dixi, in Ruhnkenii editione paratum haberet, nec reconditioris doctrinae quidquam quaesivit. Ceterum quae verba addidit, paucissima esse voluit, ut quam minima errandi occasio esset, et ea tamen cautissime elegit ex ipso Rutilio II, 12. quae autem depravaverat, ingeniose scilicet emendavit; nec amplius quam unum exemplum posuit, etsi antea *supposita exempla* plura pollicitus, imprudenter retinens ex Rutilii loco pluralem numerum; quem si ita volemus excusare ut comprehendi simul epanalepsis exempla dicamus, multo etiam magis apparebit, quam non debuerint eae figurae separari. Sed unum illud exemplum rursus brevissimum fecit, Democharis nomen non longe petens ex adnotatione Ruhnkenii ad I, 2. reliqua verba ita vulgaria ponens, ut nec laudari nec reprehendi possint, nisi forte *corrigendos esse* homines ita dixit ut intelligeret *corrigi posse.* In una re qui ei scrupulus haerebat, eundem callidus homo legentibus reliquit; cum enim populum vellet ab oratore compellari, dubitaret autem liceretne quod apud Graecos vulgare est ὦ ἄνδρες, pariter latine dicere *viri*, hoc effugio usus est ut verba quaedam in membrana sua legi non posse narraret et suspicari se scriptum esse *viri si;* quo artificio induxit Iacobum ut et *Quirites* rectius legi coniceret et id a librario suppositum esse statueret pro Atheniensium nomine, inscitiam Schoepferi sua doctrina corrigens. Similiter perversam quandam calliditatem consentaneum est in causa fuisse cur capitis V. partem postremam in codice suo falsarius deesse diceret: cum enim nesciret haud dubie, quid verbo *sufficit* faceret, nec magis reperiret, quomodo vox *ne* aut retineri aut emendari posset ac fortasse etiam de ultimorum verborum languore aliquid ei suboleret, maluit totum locum omissum simulare quam aut servatis vitiis auctoritatem codicis sui vilem reddere aut infelici emendatione suum prodere ingenium, parum cogitans, quam manifestum illud quoque fraudis indicium sit, quod in eodem loco codicem vetustissimum simul et lacuna laborare et pleniorem esse videri voluit.

Accedo ad cap. VI, cuius initium cum deesset, supplere facile fuit et partim iam supplerat R. Stephanus sic scribens: *Plato interrogatus qui res publica beata fieret, respondisse dicitur*, quae leviter Schoepfer mutavit. Minus bene res successit in definienda et appellanda figura; neque illa me movent magnopere, quae Iacobum adverterunt, quod schema Rutilius a iucunditate commendet, et quod altero superlativo posito *notissimum illud Platonis* dicat, Ruhnkenium puto imitatus, qui *nobilissimum* appellaverat; quorum hoc est levissimum, illud defendi potest iucunditatis mentione quae est lib. I, c. 17 et II, c. 14. Magis reprehendo cum ipsam figurae definitionem, quae nimis rudis est et qualis e personati Rufiniani verbis peti potuit, tum maxime verborum collocationem; cum enim unam profecto existimaret speciem figurae

Digitized by Google

hanc esse, ut duo verba repetantur sed inverso ordine, sic locutus est, ut non unam quae fieri omnino possit, speciem figurae significare videatur, sed de pluribus unam eam, qua schema iucundissimum fiat et iucundius quam aliis modis. Scilicet quod dixit: *hoc schema iucundissimum fit, cum* — ipse sic intelligi voluit: *hoc schema, quod est iucundissimum, fit cum* —. vel sic: *iucundissimum hoc schema fit cum* —. Deinde illud manifestiore indicio falsarium arguit, quod scripsit *huiuscemodi;* sunt enim, qui sibi non satis elegantes videantur, nisi in pronomine illo *ce* syllabam adiciant; atque in eo numero illum quoque fuisse, hinc apparet, quod etiam librarium suum in adnotatione, de qua supra dixi, scribere voluit *harumce;* sed Rutilium constat abhorrere ab ea elegantia, quippe qui semper scripserit *huiusmodi;* vid. lib. I. c. 1. 2. 3. 5. 7, bis. 11. 12. 16, bis. lib. II, c. 3. 5. 6. 9 extr. 13. 14. neque ullum est in reliquis eiusdem pronominis formis exemplum diversum; expectari vero non poterat ut homo imperitus in tali re observandam esse intelligeret Rutilii consuetudinem et sciret esse scriptores qui demonstrativa illa syllaba aut nusquam utantur aut in certis tantum formis ac formulis.

Superest denique ut de nomine figurae quaeramus, quam *epanodum* esse dixerat Ruhnkenius Vossium secutus instit. orat. lib. V, c. 2 p. 273 sq. qui de epanodo egit ib. c. 9. p. 298 sqq. falsarius vero haud dubie mirifice sibi placuit quod a tantorum virorum auctoritate recte sibi discedere visus est eosque etiam erroris convincere; ipse enim in suo codice profitetur *metathesin* vocari idque ne dubio quidem aut corrupto nomine sed plane ut res certa sit. Atque epanodum quidem omnino Rutilius non videtur habuisse; certe Tiberius p. 572 sq. auctorem eius Caecilium prodit; praeterea quicunque epanodum definiunt, uno ore omnes id sic faciunt, ut eam figuram his Rutilii exemplis adhiberi non posse manifestum sit; praeter Tiberium vid. Alexand. p. 465. Phoebamm. p. 499. Zonaeum p. 682. Anon. p. 707. Quintil. IX, 3, 36. Isidor. II, 21, 7. Iul. Rufin. p. 241. Iam vero falsarius more suo non ultra Ruhnkenianum librum sapiens uno auctore Iulio Rufiniano et veterem Vossii errorem percepisse videtur, et in novum ipse incidisse; nam dubium non est, quin male metathesin dixerit, quo nomine appellant grammatici litterarum transpositiones, unus Isidorus II, 21, 34 diatyposis speciem quandam; qui autem hanc de qua nunc agitur figuram metathesin dixerit, nemo est praeter unum illum auctorem ieiuni et exilis libri de schematis lex. c. 9. p. 234. quem librum immerito Iulio Rufiniano adscribi Ruhnkenius animadvertit; certe neque Rutilio ille scriptor auctore usus est neque alio eius simili. Plane igitur admirandus est falsarii stupor, qui in refingendo Rutilii opere uti se posse dubiae fidei scriptore abiectissimo et in hac re omnium maxime inutili putaverit, Quintilianum vero neglexerit; quem si didicisset Rutilio diligenter usum esse, dubium non est quin ipse quoque non metathesin, sed *antimetabolen* Rutilii figuram appellaturus fuerit, de qua vid. Quintil. IX, 3, 85. idem nomen posuerunt Alexander p. 480. Charis. V, 7, 15. Isidor. II, 21, 11.; idem breviter commemorat Longin. de sublim. c. 23, 1. accedit, si opus esset, gravius etiam testimonium poetae anon. v. 15, quem nosse falsarius nondum

Digitized by Google

potuit; is enim antimetabolae, quam latine *permutationem* interpretatur, duo exempla habet, quorum alterum ab ipso Rutilio, alterum ab Alexandro petivit; neque enim causa est, cur mutem quae olim de poetae eius aetate contra Quicheratium, Sauppium, Schneidewinum disputavi in Diurn. litt. Hal. a. 1844. pag. 388 sqq. quamquam video Bernhardyum quoque in hist. litt. Rom. pag. 453. ed. II. miserrimo versificatori hoc honoris tribuere, ut eum Augusti aetate vixisse credat. Figuram vero illam *commutationem* dixit Cornificius lib. IV, c. 28, *conversionem* Isidor. l. c. sed Aquila Rom. eam omisit, puto quod animadversione non dignam iudicaret, adversa sane falsarii fortuna, qui ex illo Alexandri sectatore meliora discere potuisset; moneo id propter Kayserum, qui in diligentissima Cornificii editione pag. 296 erravit et de Aquila Rom. et de Iulio Rufin. et de poeta anon. quia de anadiplosi cogitavit, ubi debuit de antimetabola; exemplis autem quae post Vossium institt. orat. lib. V, p. 404 sq. collegit, addo ea quae posui in ind. scholar. Vratisl. aest. a. 1852. pag. 10. et in prolegg. ad Tacit. pag. LII. adnot. 329. accedant praeterea haec: Sen. Controv. I, 2, p. 87. ed. Bip. *quid faciam mulieri in crimine suo delitescenti? — stuprum homicidio, homicidium stupro defendit.* id. I, 3. p. 93. *Postulat ut cum contra poenam causa tuta non fuerit, contra causam tuta poena sit.* Vulgari autem exemplo illi, quod primus posuit Cornificius, et quod deinde a Quintiliano, Isidoro, Papia, Hugutione, aliis repetitum per scholas vagatum est: *non ut edam vivo, sed ut vivam edo,* simillimus est ille subditicius apud Iuvenalem locus sat. XII, 50 sq. *Non propter vitam faciunt patrimonia quidam, sed vitio caeci propter patrimonia vivunt.*

Haec hactenus. Poteram praeterea de codicis Schoepferiani iis partibus dicere, quae in reliquis quoque libris leguntur; sed eae exiguae sunt, neque enim ultra capp. IV. V. VI. pertinent, nec utile est simulatam scripturae discrepantiam recensere, in qua Iacobus interpolatorem agnovit; rectius ego mihi videor sterile falsarii ingenium agnoscere, qui nec speciose comminisci vitia posset nec probabiliter emendare. Ipsum vero fragmentum Schoepferianum satis docuisse videor non posse genuinum esse sed fictum esse ab homine harum litterarum ignaro, qui sufficere crederet si figurarum scriptores ab Ruhnkenio editos nosset et qui aliis manifestis indiciis audaciam pariter atque imperitiam proderet; Schoepferum quidem utrum ipsum fraudis auctorem iudicem an ab alio delusum, nec scio nec scire laboro; certe qui Vellejana eius studia norunt, neutram de eo suspicionem nimis iniquam aut iniuriosam esse putabunt; verumtamen quisquis fraudem commisit, illa nimia eius et immerita gloria est, quod et Iacobum fallere potuit et plures postea reperti sunt, qui ambigue et dubitanter sententiam dicerent, nemo, qui mendacium confutaret, quo speramus in posterum fore ut nemo decipiatur. Vos vero, commilitones, fortiter ac strenue colite rem sanctissimam, veritatem. Valete.

Dabamus Vratislaviae mense Ianuario a. MDCCCLVI.

Digitized by Google

ORDO THEOLOGORUM EVANGELICORUM.

CAROLUS FRIDERICUS GAUPP, Dr. P. P. O. h. t. Dec. Publice I. *Exercitationibus homileticis* in seminario regio practico praeesse perget d. Merc. h. VII. Privatim II. *Evangelium Matthaei* ita interpretabitur ut cetera quoque evangelia perpetuo respiciantur dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. VII. III. *Theologiae practicae partem primam et tertiam* (Liturgicen et Ecclesiasticen s. doctrinam de regimine ecclesiae) tradet dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. Sat. h. VIII.

HENRICUS MIDDELDORPF, Dr. P. P. O. Publice I. In seminario regio theol. *exercitationes* sodalium *exegetico-criticas in Vet. Testam.* moderari perget d. Merc. h. X. Privatim II. *Psalmos* interpretabitur quinquies per hebd. h. XI. III. *Epistolam ad Hebraeos* explicabit dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. X.

AUGUSTUS HAHN, Dr. P. P. O. Publice in seminario regio theol. *exercitationes ad historiam ecclesiasticam* pertinentes quatenus eius fieri poterit, moderabitur. Lectiones quo minus habeat, munere ecclesiastico, quo fungitur, per aestatem impeditur.

GUILELMUS BOEHMER, Dr. P. P. O. Publice I. *Systema antiquitatum christianarum earumque ecclesiasticarum* explicabit ratione habita libri sui: *die christlich-kirchliche Alterthumswissenschaft*, tom. II. Vratisl. edit. d. Merc. et Sat. h. XII. II. *Exercitationes ad interpretationem novi instrumenti pertinentes* in seminario regio theologico moderabitur d. Sat. h. adhuc const. Privatim III. *Scientiam vitae Christianae* docebit *ratione habita* libri sui: *System des christlichen Lebens* Vratisl. foras emissi, dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. h. XII.

CAROLUS SEMISCH, Dr. P. P. O. des. Publice I. *Exercitationes in dogmatum historia versantes* moderari perget d. Lun. h. IV. Privatim II. *Historiae ecclesiasticae partem priorem* tradet quotidie h. IX.

IULIUS FERDINANDUS RAEBIGER, Dr. P. P. E. Publice I. *Hoseae vaticinia* interpretabitur d. Merc. et Sat. h. IX. Privatim II. *Theologicam encyclopaediam* docebit quater per hebd. h. VIII. III. *Epistolas ad Corinthios* interpretabitur quater per hebd. h. IX.

Digitized by Google

